

Letter 37: 5 March 1520, Lucerne, Oswald Myconius to Capito

The manuscript is in the Lutherhalle, Wittenberg, # 00124/I6/156/173.

S. Quantum nuper doluerim, Capito doctissime simul et humanissime, tam citam abitionem tuam, vel hinc intelligere potes, quod intantum laetatus fueram ob tuam praesentiam. Nihil enim, mihi crede, interim dum fui Lucernae iucundius evenit, quam ubi ex templo veniens adeo repente adparebas. Videbas (nihil enim dubito) ut vix te salutare nossem stupore quodam, non ex timore  
5 proveniente, sed gaudio. Sed quid mirum, si longe plus fuisset adfectus, qui nihil libentius video doctis hominibus, nihil his libentius audio, cum nemine libentius versor? Et si verecundia non vulgari adficiat taleis viros conspiciendo, facit tamen amor, quo feror in ipsos, ut illa penitus supprimatur, maxime vero quum doctrinarum lumina, ex quibus tu non postremum occupas locum, feruntur obviam. Absit adulatio, quam nunquam didici, nec unquam discere volo, imo  
10 quae ita adversatur ingenio meo, ut nihil adversetur magis. Dico quod animus iubet simplicissimus. Tu unus es, qui post Erasmum nostrum omnium bonarum disciplinarum, in primis autem theologiae Christianae restauratorem, et literas bonas sustentas et verum illum Christianismum mirum in modum promotes. Potes nanque id munitus ingenio, munitus cognitione linguarum, aetate, audacia, innumerisque aliis ad rem omnino pertinentibus.  
15 Quapropter non iniuria multo ex te gaudio accumulatus fui, cum tantus sis doctrina. Sed ut verum fateor, pene plus me adfecit humanitas tua quam eruditio. Quaesieras de me, doctus de indocto, magnus de minimo, vere sapiens de insipiente, imo notus de ignoto. Facie enim tu mihi iamolim visus et cognitus, eruditione tum ex tuis concionibus tum ex libris cognitissimis. Quid ego? Etiam si me aliquando vidisti, non curasti, utpote non curandum. Doctrina tibi innotescere  
20 non potui, quae iudicio meo, ita me deus bene amet, ne tantilla quidem in me est. Et tamen quaesieras tanquam de erudito, adloquebaris tanquam aliquid scientem. Non credere potes quanti eam rem faciam. Praedicavi apud omnes amicos meos, maxime apud Zwinglium id quod indicant literae eius ad me, quibus iusserat, ut te nomine eius salutarem diligentissime, putans nondum te abiisse, adeo festinanter ad ipsum perscripseram quicquid mecum egisses.  
25 Chrysostomus interea nunquam excidit, cuique partem dixerat te de novo interpretatum. Quam vellem, optime Capito, ius mihi in hac parte in te esset! Nihil iuberem aliud quam ut quod incepisti ad finem perduceres. Neque id solum ob commune commodum, sed etiam quia nescio qua re alia maius meritum apud deum quoque praestare possis. Taceo quod minore labore (ut mihi videor) hoc faceres quam veterem translationem emendes, quod tamen in animo est. Sed te  
30 obtundo. Scripsi ut nosses animum in te meum, quem rogo boni consulas. Vale in usum Christianae religionis et me commendatum habeto. Lucernae, Nonis Martii, anno MDXX.  
Salvum opto Hedionem et Nepotem viros ex aequo, ut audio, doctos et probos.  
Myconius tibi deditissimus.